

QVÆSTIO MEDICA,

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM, die Iouis XIV. Decembris.

M. STEPHANO LE GAIGNEVR, DOCTORE MEDICO, PRÆSIDE

An procreandis maribus florens ætas felicior?

I.

CVM primùm homini effingendo natura vacat, jam tum perituri operis conscia, ejus quâ potest perennitati consulit: quô adeò momento coæua humanæ molis principia, hepar, cor et cerebrum adornat, eôdem pene vterum et testes, cæteraque consciscendæ immortalitatis instrumenta procudit, cujus nihilo in feminâ seciùs quàm in mare auida, neutrum neutri posthabuit, vel temperamenti dignitate, vel vtilitate partium ad generandum minori, vel prolifici humoris efficientiâ. Vnum est quod eò diligentiùs videtur intendere, quò maturius ei prouidet destinatâ materie, et ad alterutrum edendum sexum ante paratâ. Nam in comprehenso conceptoque semine, singulari naturæ temperatione statim viget ea vis et ratio, quam animô inter efformandas partes secutô, homo demum virili, aut muliebri formâ venit dias sub luminis oras.

II.

SVVM est vnicuique sexui temperamentum, suæ sunt partes, his quoque sua est vsus tempestiuitas. Sexus solida quædam

res et stabilis aurâ leui, aut vi à testibus spirabili contineri non potest. Item ab vtero quid spirat muliebri corpori salutare aliquando futurum. Sed neque hinc, neque illinc, vir & femina fiunt. Calidior et siccior temperatura cum aptâ corporis conformatione, quâ homo forinsecus generet, virum efficit. Mulier ex humidiori et molliori habitu constat, atque ex earum partium coagmentatione, quibus ali fœtus & comprehendi potest. Hæc autem tanta vtriusque sexus discrimina secundum varias ætates obscuriùs, luculentiùs eduntur, vel obsolescunt. Tenellis in maribus vis generandi conticescit diutiùs, & pudibundæ partes vix extra abdomen prodeuntes lucem fugiunt et operam: grandioribus verò viris laxæ & debiles, inutilia sunt, vel non innoxia virilitatis emeritæ monimenta. Ætate prima exili vtero sat est, dum virginem sexui non defore significet: serior mulieris ætas, vtero decrescente, et continendæ proli jam iniquo, hystericis symptomatis fœcunda, tristes sæpe importat muliebritatis reliquias. Hoc quod superest vitæ spatiô, nondum æquô liberos procreandi jure vtimur. Quando enim primum tenerioris pubis florem venus delibauit innocens? Certè pluribus discincta ante tempus adolescentia ad ægram senectutem, aut immeritam ad mortem meditatio fuit. Ergo illo in genere tum solummodo plurimùm licet, cum ætas temperamentum corporis eò euexit, vt cum proprio sexus temperamento conueniat. Tunc enim vigentes naturæ vires ad semen primum et præcipuum procreatricis facultatis opus perficiendum mirabiliter conspirant. Matura autem in virgine pleni jam anni vteri sinum laxauère, atque amplificatis, quæ eò tendunt vijs, nubili feruore diffusus sanguis vndequaque præsto est, qui susceptum semen alat vberrimè, et quamprimum corroboret.

III.

FLORENS ætas verè dici potest, quæ cum summâ caloris & humoris insiti vbertate, insigni virium robore pollet: hæc fere extremâ adolescentiâ, juuentute extremâ, hinc & inde clauditur; quo tempore calor noster, qui antea alendo augendoque corpori assiduus vacabat, absoluto opere, jam majus quid molitur, & alterius sæculi augurio, quod in vniuerso sanguine purissimum est, secernit posteritati, et ad testes mandat. Hi autem tam in feminâ quàm in mare condendi seminis principes, nusquam perfectius semen recondunt, quàm inclinatâ adolescentiâ, aut hinc paulò vlterius ætate prouectâ. Tunc enim testes vberrimò calore, & geniali, qui solis inest, spiritu turgiduli, atque ad opus aut nondum

aut parum vſitatum integri et valentes, nihil imbelle ad ſe proliciunt, ſemenque ex ſe promunt, parentum vt ætate, ſic virtute potens; tunc adeò ferendæ prolis inſtinctu ſuſcitati vir mulierque, quicquid aruo venereo mandauerint, eò generoſiorem ſatum daturum eſt, quò vis in vtroque ſemine virilis major abundat, & quò faciliùs ſequior ejus pars, quam etiam juueniles agitant ſpiritus, ad alteram conceſſura eſt. Vterum eòdem inclinant florentis ætatis momenta: ſi quidem vim ejus inſitam, & teſtium ſupparem vel æmulam vigor matris acuit, et caſtigato humore, ad marium procreationem vteri temperaturam tam exigit, vt quamuis ille ſiniſtrâ in parte gerat, fœtum tamen non effeminauerit: nedum ſeminis viriliter vbique ſe gerentis motus immutet, vt conuersâ generatione feminam pro mare rependat.

IV.

INTER varias natorum cum parentibus ſimilitudines, ſexus maxima eſt: hæc tantò cæteris expreſſior, quantò interiùs totum hominem attingit, quó-ve actio formâ præſtantior, & temperamentum figurâ partium ad agendum aptius. Ακοινονητοι autumant, oblatâ re extrinſecus, aut mulieris cogitatione acriùs intentâ, expreſſam in natis effigiem duci, aut ſexum fœtui tribui. Vnius naturæ eſt vtrumque præſtare: nullo quidem parentum ætatis diſcrimine, prolem oris ſpecie magis ſimilem formare ei, cuius in ſemine vis ſolidarum partium fictrix inualuerit. At vt proles ſexu patrem, vt matrem referat, alia res, quam vno ſemine nunquam ſatis accurauerit natura, longè pluribus auxiliis impetrandam; ad alterum parentem, quod totus ſexu accedat fœtus, etiamnum alterius, à quo totus recedit, beneficium eſt. Scilicet ad ſexum plurimùm intereſt, quàm probo vtrinque ſanguine, quo temperamento, qua ætate, quibus etiam cibis vſi parentes prolem vouerint. Ab his enim in ſemine omnia, quæ vt valentioris caloris, & ſubiectum humorem latè dominantis imperio reguntur, aut contrà; ſicut caloris acciſis viribus ſeruientis motus omnes præpollenti humori ſubjiciunt, ita fœtus patris ſe aut matris ſexui addicturus eſt. Sed omnem in ſemine, ſicut in reliquo homine, caloris et humoris principatum promouet aut remittit ætatum viciſſitudo.

V.

HINC alia ætas aliâ ætate aptior generandis maribus: impuberum aut primitùs adoleſcentum ſemen immaturum imbelles fœtus procreat & femineos, qui matre recenter aut nondum menſtruâ concepti, in vtero macileſcunt, & maſculum quid ſi forte

habeant, vteri anguſtias exoſi ocyùs in lucem erumpunt, incertâ ſpe, prope certâ matris pernicie. Florentem ſequitur ætas matura, et, vt hodie vita eſt hominum ſpirituum & caloris pene vacua, pauxillum ſanguinis, quod illa comparſerit ſuſcipiendæ proli, ſæpe frigidius eſt, atque impar præferuidæ marium indoli. Vterus verò id ætatis, aut multiplici partu effœtus, aut nimiâ humiditate circumfluus, viriles ſeminis impetus obruit, & diuerſos procul à mare deflectit. Extremâ ætate anum in vtero habere, monſtrum eſt. Ad propoſitam filiorum dulcedinem auidum trepidare ſenem, & inſolentiùs commoueri, γεροντικώτερόν ἐστι, & nullam aut raram in prolem euaſurum, paternæ imbecillitatis teſtem, & ὀψιγόνων vitijs inhæſuram. Nam ſenile ſemen impurum ſemper, vel infœcundum eò peruenire non poteſt, quò vix aſpirat melior ætas. Vno verbo, quàm hominum in genere (ſecus quàm pleriſque in animantibus) præſtabilius eſt marium multitudine, et corporis robore feminas vinci, tam conuenit ætatem multiplici fundendâ prole jam felicem, omnibus abundare ad marium generationem commodis, parentum robore, perfecto ſemine et menſtruo ſanguine, vtero propter ſtatas menſium periodos ſemper nitente, et idcirco ad procreandos mares propenſo. Ecce ſingularis boni, et florentem ſupra cæteras ætates beantis cauſæ tam certæ, quàm naturâ conjunctæ.

Ergo procreandis maribus florens ætas felicior.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Philippus Douté.
M. Nicolaus Morin.
M. Carolus Patin.
M Philippus Chartier.
M. Franciſcus Boujonnier.
M. Franciſcus de la Chambre, Ord. Reg. Chriſtianiſſ. Med.
M. Claudius le Vaſſeur, Pharm. Prof.
M. Dionyſius Ioncquet.
M. Iacobus Gauois.

Proponebat Lutetiæ PETRVS LEGIER, Pariſinus, A. R. S. H. M. DC. LXII.

PARISIIS,
Apud FRANCISCVM MVGVET, Typographum Regium, viâ Citharæ, ad inſigne trium Regum.
M. DC. LXII.

c'est la 1135.e du tome VII du recueil in folio. —